ANDREAS DUDITIUS

De cometarum significatione commentariolus
Cracoviae 1579

Andreas Duditius Ioanni Cratoni salutem.

Quaeris,vir clarissime, quid de cometarum significatione sentiam. Idem philosophus et medicus praestantissimus Simonius, idem varia doctrina perpolitus Esromus Rudingerus, idem bonis artibus iurisque scientia eruditus Iacobus Monavius noster, idem amici quidam alii a me postularunt. Invidiosa magis quam difficilis responsio est in tanta opinionum varietate, quibus docti homines in diversas partes distrahuntur. Huc accedit, quod id quis non levibus rationibus et, quae rationes, ut Galenus tuus scribit, superat, experientia adductus a communi popularique opinione sibi discedendum censet, is a superstitiosis hominibus et plus aequo timidis in horrendum gravissimumque crimen impietatis vocatur. Quorum videtur superstitio veteri illi Romanae similis, quae cometen, in deorum numerum relatum, in templo Romae coluit. Quare equidem tacere constitueram et tuam potius sententiam exquirere, ad quam meam adiungerem. Non enim parum mihi cognita est pietas atque in omni doctrina ingenii iudiciique tui praestantia, sed quoniam iterum abs te urgeor, ab aliis etiam saepius, dicendum est aliquid, ut facilius sententia tua eliciatur.

Etsi non sim nescius, quam variae, quam pugnantes de cometis veterum philosophorum sententiae fuerint, ut nondum ex abdita illa naturae obscuritate plane evolvi eius vis ac natura potuerit, nos tamen communem, quae eadem Aristotelis quoque fuit et qui eum magistrum sequuntur, opinionem hoc loco retinuimus. Quam tamen non satis esse certam uz credam, non leves me caussae impellunt. Et sane, haec tota de meteoris disputatio non satis habet firmitatis. Ac

Iz: E. Banić-Pajnić, M. Girardi Karšulin, M. Josipović,
Magnum miraculum - homo (Veliko čudo - čovjek),
Zagreb: Hrvatska sveučilišna naklada, 1995.

de cometarum quidem generatione contra Aristotelem disseruit Marcellus Squarcialupus, doctus et acutus philosophus et medicus.

De cometarum quidem essentia quid constitui certi potest? Viri certe docti quos nostra aetas tulit, etiam ii, qui plus quam ego fieri oportere contendo cometis tribuunt, quid omnino cometa vel, ut Cicero vocat, stella crinita vel cincinnata sit, nondum satis statuere possunt.

Ioannes Praetorius meus, Norimbergensis Reipublicae mathematicus et doctrina et bonitate singulari, quo ego in mathematicis magistro domi meae aliquot annos usus sum, halitus e terrae visceribus elatorum esse non dubitat affirmare, verum an accendantur et ardeant, id vero est, quod in primis dubitat. In quo Appianum, celebrum mathematicum sequutus est. Sic enim scribit: de materia huius cometae non ambigimus, quin fuerit moles vaporum terrestrium. Sed an halitus isti accensi fuerint, me item Appianus dubitare facit. Nam dum radios cometarum diligenter observasset et deprehendisset eos Solis ex adverso semper positos esse, non dubitavit affirmare non omnes cometas accensos esse, sed quandoque esse exhalationem subtilem, non inflammatam, sed lucentem alumine Solis. Cuius existimat omnes eos fuisse, quos ipse observavit. Haec ipsius opinio, si vera est, quemadmodum probabilis esse videtur equidem ausim affirmare hunc quoque vaporem a Sole illuminatum fuisse potius, quam inflammatum. Nam et coma a Sole aversa erat et lumen ipsum illuminationi similius, quam incendio. Haec Praetorius.

Ne Paulus quidem Fabricius, philosophus et medicus ac Caesareus mathematicus eximina doctrina ac bonitate atque in hac disciplina longo usu excultus, peripateticorum sententiam, quam supra attigi, prorsus probare videtur. Nam Senecam sequi mavult, quem ait affirmare cometam esse stellam, initio a Deo cum aliis conditam, quem ille, ut suam declaret potentiam, suo tempore veluti praenuncians signum aliquod ostendat.

Hieronimus Cardanus, varia doctrina et mirifico ingenio praeditus vir, mathematicus item celeberrimus cometam globum facit in coelo, qui a sole illuminatus videtur et dum radii transeunt, barbae aut caudae effigiem formari. Hic igitur, inquit, in coelo, si ibi est, generatio fieri potest. Si non admittatur, dicere necesse est, quod et verius est, coelum esse sideribus pluribus, sed non

admodum densis, plenum. Quod cum aer siccessit et attenuatur, vel etiam aliis ex causis, oculis nostris se subiicit. Nam quandoque et Venus media die videtur, quam de novo genitam non esse satis constat. Idem Cardanus paulo supra hunc locum, postquam scienter demonstrasset, quam alte vapores attolli possint, sic concludit: satis constat locum, qui a Mediolani incola videri denet sub hyemali circulo, a terra distare plus quam decies altitudo vaporum pertingat. Sed ibi cometae videntur a nobis. Igitur non fiunt ex vaporibus. Sed nec supra in aethere, cum ibi non sit materia, quae accendi possit. Subiicit vir ille doctissimus alia quoque huc pertinentia.

Atque haec quidem tres hi praestantissimi aetatis nostrae mathematici de cometa scribunt, ut alios multos praeteream veterum. Varietates opinionum quis enumeret? Pythagoraei, ut ex Plutarcho Stobaei *Collectanea* habent, partim stellas faciunt cometas, quae non semper, sed certo temporis ambitu appareant, partim visus nostros in Solem speculi more reflexos. Anaxagoras et Democritus duarum vel plurium stellarum concursum, quemadmodum speculis aliquot inter se oppositis non numquam aliquid stellae simile elucet. Aristoteles exhalationis aridae igneam congeriem: et cometas quidem, cum illa validius incensa diutius durat, stella quidem infra apparente, coma autem supra fulgente, barbatas autem, cum contra stella quidem supra appareat, contra autem infra barbae more. Strato dicebat stellae lumen densa nube circumdatum, ut in lucernis appareat. Heraclitus Ponticus nubem sublimem sublimi lumine illustratam ac similem reddit causam barbatarum trabium, columnarum ac similium, ut omnes fere Peripatetici, nubium videlicet figuras. Epigenes credebat spiritum terreum incensum ac sublatum, Boethus aeris incensi visum. Chaldaei sentiunt alias quoque stellas esse praeter planetas, quae aliquandiu quidem lateant, quoniam longe sint a nobis remotae, nonnumquam autem inferius delatae appareant ita re exigente. Eas vero cometas ab iis vocari, qui nesciant ipsos quoque stellas esse; evanescere autem videri, cum in suam regionem, in aetheris profundum, veluti pisces in maris fundum referantur. Alii terrea quaedam vento vel turbine in aerem ferri existimarunt ibique incensa et in aetheris vertiginem illapsa cum universo ad tempus aliquod circumferri, donec igne consumpto evanescant. Metrodorus elici scintillas violenta Solis in nubem im-

pressione, Xenophanes omnia id genus compactum aliquid aut motum esse nubium ignitarum.

Vides, mi Crato, quam varia, quam contraria summi physici de cometis philosophati sint? Non commemoro omnia. Petat, qui volet, ex Aristotele, qui aliorum sententias sustulit; ex Seneca, qui et Aristotelis et aliorum item opiniones refutavit; ex Laertio; ex aliis multis. Mihi sane in tanta obscuritate et multiplici opinionum varietate, cum res ipsa ignota etiamnum sit, non videtur vero esse simile, ut certi quidqam divinari aut praedici possit. Quin hoc affirmo, etiamsi constaret, quid cometa sit, quam materiam, quam naturam habeat, non posse tamen ex eius lumine vel boni quidquam vel mali praenunciari. Quod non ita multo post ostendemus.

Qui cometas propterea accendi in coelo dicunt, ut sint magnarum calamitatum, quae nobis impendeant, praenunciae quaedam atque adeo causae efficientes, eventus varios et veterum testimonia poetarum atque historiarum in medium afferunt. Sunt etiam, qui ratiunculis quibusdam suis pugnant ex naturali, si diis placet, philosophia et medicina petitis. Atque illi quidem Lucani, non ignobilis poetae, versiculis nos territant, qui vocat

crinemque timendi
Sideris et terris mutantem regna cometen.

Item Claudiani nunquam coelo spectatum impune cometen affirmantis. Inducunt etiam poetarum principem, qui Iulii Caesaris necem, praeter alia prodigia, a cometa quoque notatam fuisse innuere videatur:

Non alias coelo ceciderunt plura sereno
Fulgura nec diri toties arsere cometae.

Iovianus Pontanus quoque, eodem quo caeteri poetae spiritu afflatus, vir alioquin eximius in omni eleganti doctrina, in hunc modum cecinit:

Ventorum quoque certa dabunt tibi signa cometae,
Illi etiam belli motus feraque arma minantur,
Magnorum et clades populorum et funera regum

et quae ibi plura dicuntur. Non lubet hic alia testimonia recitare et non necessariis tum carminum, tum historiarum exemplis epistolam implere. Obvia sunt passim nec tibi, ut alia huius generis omnia, non probe cognita.

Ac primum quidem miror eos ad experientiam confugere, quae tota ab adversaria parte stat proque ea multo plura et veriora, ne dicam omnia, testimonia dicit. At eventus persaepe praedictiones eorum comprobat. Innumerabilia commemorari possunt, quae aut nullos habuerunt eiusmodi exitus, quales illi denunciarunt aut prorsus contrarios. Quamvis hic illud recte dici potest, quod Cicero scite admodum scribit: *Quis est, qui totum diem iaculans non aliquando colliniet? Totas noctes dormimus, neque ulla fere est, qua non somniemus, et miramur, aliquando id, quod somniavimus, evadere?* Quid divinatione ex avium volatu (ne superstitiosa alia multa divinationum genera enumerem), quid extispicio vanius, quid ridiculum magis fingi potuit? Tamen saepe ea evenerunt, quae ex vanissimis illis imperitae multitudinis delusionibus praedicta sunt. Non pauci certe omnibus temporibus cometae arserunt sine bellis, sine pestilentia, sine ullis regum funeribus. Contra vero tum anteacta saecula iam inde ab orbe condito, tum patrum nostrorum et nostra haec aetas funestas clades multas et continentia bella atque humano manantes sanguine rivos vidit, latentibus tamen interea nec sese unquam in conspectum proferentibus cometis. Hic mihi venit in mentem Iulii Caesaris Scaligeri, cuius tu libros mirificis in coelum laudibus tollis. Existimare, inquit, a cometa regem interfici, ridiculae dementiae est, tanto magis everti pronunciam. Multi sunt a nobis cometae visi, quos nulla unquam tota in Europa subsequuta est mortalium pernicies. Et multi clarissimi viri suo fato functi sunt, multi eversi principatus, pessundatae familiae illustrissimae, sine ullo cometae indicio. Haec ille: sed quaerendum ab istis hariolis est, memorabilem illam a Thucydide descriptam pestilentiam, tum ab Hippocrate aliam, item a Galeno et alliis alias, et quam Baccacius item luculenter depingit; tum alias multas variis in locis crudeliter in omne animantium genus grassantes pestes; ac quatuor ab hinc annis Lithuanicam illam et Polonicam et Thurcicam et Pannonicam et Germanicam quoque, qui praecursores cometae denunciaverint? Multas certe easque populosissimas provincias et olim saepe per hos annos continue saeva pestilentiae lues nullo ardente cometa exhausit ac depopulata est. Reges, principes, summi viri multi, sic reliquum genus omne, ut antea semper, ita hoc tempore et in posterum quoque, dum pulcherrima haec mundi machina stabit, sive aliquis flagret cometa sive nullus appareat, perpetua tamen fatalique naturae lege

in dies inque horas et nascentur et interibunt. Neque hic praepotentium regum quam de plebe cuiusvis aut melior aut deterior esse conditio potest.

Pallida mors aequo pulsat pauperum tabernas,

Regumque turres.

Stat sua cuique dies.

Et ea lege omnes nati sumus, ut cum vitae finis adest, naturae vel inviti vel volentes concedere necesse habeamus. Quae cum a me dicuntur, satis, opinor, apparet, ut nulla vis maior admoveatur omnia adversariorum tela hoc exeplorum quasi clypeo quodam obiecto ita excipi, ut irrito ictu sua sponte decidant, vel potius in ipsos infestos atque invehentes se repellantur.

Itaque hunc istum cometen, qui non ita pridem flagrare desiit et tam prodigiosus fingitur, longe alius, ut equidem spero, eventus consequetur, quam vulgo infimi isti Dei et naturae consilarii inflatis, tanquam e tripode, vaticinantur. Quod si quo tamen casu bella aliqua, si pestis, si aliqua mala exoriantur, quis est vitae communis rerumque humanarum tam insolens atque ignarus? Quis consiliorum actionumque tam parum acutus aestimator, qui vel levissima auditione acceperit ea, quae ubique fere gentium agitantur, ut ea ad cometae potius crines aut barbam aut caudam ac remotas illas coelestas universalesque, quam ad proximas praesentesque causas referenda esse pertinaciter adhuc contendat? Nisi eorum etiam bellorum, pestilentiae aliarumque calamitatem cometen esse causam temere et sine ulla ratione nugetur, quae calamitates multo ante humanum genus misere afflixerunt, quam ullus in coelo cometes existeret aut ulla adhuc materia vi siderum, ut loquuntur, in sublime hausta efferretur. Ne longe abieris, Veneta certe (in qua una urbe supra centum hominum millia absumpta dicuntur) aliarumque Italiae, Germaniae, Ungariae, Sarmatiae, Thraciae urbium ante cometen exorta pestilentia est et ut multis iam locis desaeviit, ita in aliis quoque vicinis contagionem civitatibus communicavit. Itaque durat hodieque passim, ac nisi Deus eam removerit caussaeque, quibus haec lues alitur, sublatae fuerint, durabit diutius vicinosque populos immaniter funestabit. Vides me minus curiose vetera conquirere. Nam si id faciam,

quis finis in tanta exemplorum copia reperiatur? Ea igitur tantum, quae ipsis oculis intuemur, strictim attingam.

Bellum Gallicum, luctuosum illud sane et miserabile, tum non minus cruentum Belgicum, iam aliquot ante cometen annis nobilissimas illas opulentissimasque nationes afflixit peneque iam extinxit. Necdum adhuc debellatum est. Cyprum, Goletam, Tunetum nullo tanta mala praemonente cometa non ita pridem amisimus. Ungaria iam pridem miserandum in modum vastata ac prope iam deleta est, adducta certe est in extremum discrimen. Litoniam prope omnem proxime idque ante cometae exortum Moscus occupavit. Bellum Dacicum, Danicum his annis, nuper etiam Transylvanicum et ter intra hoc biennium repetitas in Sarmatiam Scytharum excursiones, depopulationes, vastationes, caedes ab eis illatas et multa alia foeda nefandaque atrociter ab eis patrata, plurimorum oppidorum, pagorum villarumque exustiones, quis, amabo te, cometes antecessit? Abacta a feris istis, non iam hominibus, sed beluis, equorum et aliarum pecudum incredibilis multitudo; puerorum vero et puellarum atque omnis aetatis et ordinis miserabilium hominum ad trecenta millia, ut fama loquitur, in horribilem foedamque Turcarum servitutem abducta sunt. Sive ad cavenda, sive ad depellenda, sive etiam ad deprecanda haec tanta mala, quae praesignificare dicitur, cometes in caelo fulget, digna sane fuerat haec, quam leviter attigi tantum, tam memorabilis calamitas, quam novus aliquis cometas nobis praemonstraret.

Quis fuit motus vel maior vel memorabilior, quod bellum tetrius illo, quod paucis abhinc annis in Ungaria gestum est, cum Solymannus Ottomannorum regum potentissimus, quingentis hominum millibus Pannoniam complevisset? Munitissima illa non solum harum regionum sed universi etiam Christiani orbis propugnacula, Iula et Zigetum, capta et excisa sunt, fortissimis propugnatoribus ad internecionem trucidatis, oppidis vicisque incensis et eversis, abacta pecudum more in foedissimam servitutem adolescentulorum, virginum aliorumque omnis aetatis, omnis ordinis multitudine infelicium mortalium infinita. Pone tibi ante oculos, quae tum fuerit per Germaniam, Galliam, Italiam, alias provincias armatorum hominum concursatio, dum principes ad tuendos non iam Ungariae fines tantum, sed reliquum orbem Christianum (quem ille iam spe devoraverat ac, nisi admirabili Dei providentia sublatus fuisset..., sed nolo graviora ominari) magno studio se com-

parant atque undique maximi duces cum subsidiario milite ad Divum Maximilianum Caesarem confluunt. Hos tamen tantos tumultus, hos tantos motus, hoc tam memorabile bellum, tam magnas illas strages et vastitatem, ipsam denique formidolosi Christianis populis tyranni mortem quis rerum humanarum, bellorum item et vitae necisque regum dispensator, autor et praenuncius cometes portendit?

Mortuus est non multo post Cypri eversor ac triumphator Solymanni filius et successor; is, qui a nostris ad Echinadas navali pugna memorabili, nullo ante exorto cometa, gloriose superatus est. Mortuus item Sigismundus Augustus, Sarmatiarum rex potentissimus cum uxore Catharina Austriaca, lectissima regina. Paucis ante annis divus Ferdinandus Caesar, cuius pietas summa atque insignis sapientia extitit; tum abhinc fere biennium tanto patre dignissimus filius divus Maximilianus, imperator optimus maximus, cuius nunquam satis obitum pro illius divina virtute deplorare possumus, plurimi alii principes in Europa et alibi mortui sunt, in quibus aliquot pontifices maximi; tum Henricus Galliarum rex bellicosus, miserabili fato functus, et eius filius Franciscus II rex, post hunc Carolus item IX rex, eius frater. Hi paucis interiectis annis diem suum obierunt, nec tamen ullus fatidicum suum iubar cometes explicavit, quo his de rebus ante quam evenirent mortales admonerentur. Proxime superioribus annis multa in Zelandia et Hollandia ab Oceano oppida absorpta sunt (nam haec quoque cometis accepta referunt); Ferraria, nobilissima urbs, fere ab imis convulsa sedibus et terrae labefactata motibus, pene tota cum magnificis et sumptuosis illis divorum templis ac publicis aliis privatisque aedificiis corruit et deformata est. Nec ullum tantorum monitorem cometen vidimus. Sed huius generis mala pene innumerabilia ex veteri et nostrorum temporum historia in medium afferre nullius prope negocii fuerit. Illinc sumat licet, si quis magno eorum studio tenetur. Nobis haec satis sint, quae vel vidimus ipsi vel videre potuimus.

Verum longius abeo, quam initio constitueram, dum ostendere conor, si exemplis pugnandum sit, numero nos et multorum insignium eventuum copia facile vincere. Quamquam nullum prorsus exemplum illorum servire instituto potest. Nam si propterea talia, quae commemoravimus, mala ad cometen tanquam ad causam suam referri oporteat, quod in illud aliquando tempus incidant, quo cometes aliquis ardet aut, postquam deflagravit, consequantur, videndum est illis etiam atque etiam, ne ad multas atque eas quidem per absurdas

consecutiones fenestram aperiant. Nam, ut alia omittam, efficitur sane hoc modo, ut eius, quod fit, aut paulo post sequitur, caussam esse dicamus id, quod vel praesens est vel non ita pridem antecessit. Sic ortum, sic obitum Solis, sic fulgura, sic tonitrua, sic parelia, sic iridem, sic multa alia eorum caussam rerum omnium faciemus, quae his intervallis ab hominibus suscipiuntur et fiunt; atque adeo quae eis praeter expectationem aut voluntatem accidunt. Febre aliquis corripitur aut morbo alio, moritur etiam; alius ex alto cadit aut cervicem ex equo delapsus frangit, dum tonat aut fulgurat; num propterea aut tonitrus aut fulgur febris aut eorum, quae diximus malorum, efficiens caussa ponenda est?

Quid igitur, inquiuunt, nihilne penitus eorum, quae vulgo timentur, malorum cometen nobis praenunciare et frustra talem de caelo ignem ostendi putas? Aio equidem non magis a cometarum incendiis bella pestes, regum interitus et quae sunt generis eiusdem portendi (multo vero minus effici) quam ab aliis impressionibus et quae multa variaque saepe in aere spectantur phaenomenis. Quid ita? Quia eadem est cometarum, ut vosmet ipsi vultis Peripateticos in eo et principem eorum Aristotelem sequuti, quae aliarum in coelo flammarum materia eademque efficiens caussa. In manibus sunt libri philosophorum, qui haec ex naturae latebris sensuum ministerio eruta ad rationis examen revocarunt atque horum nobis coelestium spectaculorum caussas scienter, quid ad eius fieri potuit, explicarunt. Nihil debet esse in philosophia, ut inquit Cicero, commentitiis fabellis loci. Atque hi, quos dico, Peripatetici Solis aliorumque siderum insita vi, lumine ac motu intimos terrae recessus aquarumque profunda permeantium, spiritus quosdam – sive fumos sive halitus sive mavis exhalationes – elici aiunt, quae calidae atque aridae cum sint atque ideo etiam levissime, sursum attollantur in sublimemque illum locum facile evolent. Haec concipiendis ignibus apta materia cum sit, orbis coelestis agitatione proximique ardore ignis (si tamen ullus ibi ignis est) non magno negotio inflammantur. Variae autem aliorum ignium species existunt pro situs diversitate et materiae cuiusque copia aut paucitate. Hinc illa saepe conspicimus, de quibus poeta:

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo
Signavitque viam flammis tenuesque recessit
Consumpta in ventos.

et illud: *caelo ceu saepe refixa*
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.

Apud philosophos reliquos plura etiam flammarum genera reperias, quam apud Aristotelem, qui quidem flammas, traiectiones stellarum, faces, capras ex eadem produci caussa ac gradibus tantum vel, ut vulgo in scholis loquuntur, intensione ac remissione vel potius, ut ipse ait, τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον differe docet. Talem quoque cometarum esse naturam volunt. Constant enim omnes ex calido et sicco terrae halitu, ut dictum est. Iam vero obiiciuntur aspectui nostro multae aliae in coelo admirabilium ignium formae, hiatus, fossae, candelae, titiones, trabes, dracones volantes, ignes perpendiculares, columnae, gladii, lanceae, lampades, iacula, clypei, turres, naves, cruces et gemini illi ignes qui Castoris et Pollucis nomen obtinuerunt, tum ardentes acies et ignita arma, de quibus Iulius Obsequens et alii fusius disserunt. Conspiciuntur fulgura quotannis cum terribili conitu ac fragore, ut alia quoque naturae miracula, quae certe non minorem quam Cometae admirationem et metum incutiant. Quae enim nox coelestium ignium spectaculis vacat? Sed consuetudo nimirum cum admiratione ipsa, ut dixi, pavorem quoque minuit aut prorsus iam ademit.

Quae tamen omnia non minus a naturalibus et necessariis causis produci solent quam Solis et reliquorum siderum ortus atque occasus, quam eiusdem Solis Lunaeque labores, ut poetae loquuntur, quam interlunia, quam aliorum quoque planetarum varii situs atque ex cuiusvis cursu rotationeque diversae positiones, quam alia sexcenta, aut, quod malo, quam nubes, quam pruina, quam pluvia, quam nix, quam grando, quam tonitrua, quam fulgura, quam fulmina, quam Solis et Lunae areae, quam geminati Soles aut plures etiam, Lunae item plures, vel, ut Graeci vocant, παρχέλια καὶ παρασελήνια quam iris, quam multa alia, quae videmus a natura effici, ex quibus tamen nihil propemodum harioli isti vaticinantur.

Praeclare Seneca: »Nemo, inquit, usque adeo tardus et hebes et demissus in terram es, ut ad divina non erigatur ac tota mente consurgat utique ubi novum aliquid de coelo miraculum fulsit. Nam quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim compositi sumus, ut nos quotidiana, etsiamsi admiratione digna sunt, transeant; contra minimarum quoque rerum, si insolita prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque coetus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non convocat. At cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in coelo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet«.

Et quae sequuntur alia lectu periucunda. Post addit quoque: »Adeo naturale est magis nova quam magna mirari. Idem in cometis fit, si rarus et insolitae figurae ignis apparuit, nemo non scire, quid sit, cupit; et oblitus aliorum de adventitio quaerit, ignarus utrum debeat mirari an etiam timere. Non enim desunt, qui terreant, qui significatione eius praedicent«. Hactenus ille.

Immutabili igitur et stata naturae lege haec fiunt, neque eo eveniunt, quo inani mortales metu excrucient aut (quod absurdius est) ut bellis, ut pestilentia, ut mille aliis horrendis malis nos misere devexent. Nempe raritas ipsius rei et nostra inscitia facit, ut meticulosorum superstitionique deditorum animi ad infaustas praesensiones potius quam ipsius rei naturam indagandam sese convertant. Cuius quidem, ut ante ostendimus et ipsi confitentur, non alia est quam multarum aliarum coelestium flammarum materia. Rarius autem apparent crinitae stellae, quia ad eas inflammandas permagnam congeri materiae vim et copiam necesse est. Quo fit quoque, ut diuturniores sint et multos saepe menses ardere conspiciantur, id quod aliis ignibus non accidi, quorum non est tam copiosum pabulum. Cometae autem tamdiu durant, dum tota illa, in qua concepta inflammatio fovebatur, immensa materiae vis ac magnitudo exuratur ac penitus absumatur. Fiunt autem ista et, dum natura pulcherrimaque huius universitatis compages stabit, fient suo quodam naturali ordine ac lege. [...]

Sed ut eo, unde digressus sum, redeam, Hippocrates, medicinae parens, siccas aeris constitutiones salubriores minusque lethiferas esse scribit. Constat enim putredinis fomitem ac fontem esse adversariam siccitati humiditatem. Quid? An illud non puerile ac plane ridiculum videtur? Eo ad bella, inquiunt, concitantur animi, quod aer aestuosus in corpus se nostrum sensim ingerit insinuatque artusque omnes perreptat sicque mortales quasi faces quasdam in ipsa cordis penetralia infert. Hinc spiritus inflammati mox aestuant et sanguinem humanum sitiunt scilicet, hinc furore correpti mortales passim caedes spirant, hinc furialis illa bellandi libido exardescit, hinc studium illud tam vehemens:

Aere ciere viros Martemque accendere cantu.

O delirationem incredibilem, o ridiculam et futilem rationem!

Longe alia est bellorum causa. Inspice consilia et actiones principum ac nationum, furores populorum considera, excute mores hominum vitaeque rationem omnem expende, refer oculos ad origines et causas bellorum civilium et externorum, quae nullo adhuc cometa lucente excitata fuerunt ac vix sunt tandem multis cladibus restincta vel quae adhuc ardent et non nisi cum totius Christiani orbis exitio, si nobis Deus non adfuerit, deflagrabunt. Haec qui secum reputet, videbit certe nullo negotio longe aliam et initii et progressionis et exitus tantorum malorum esse causam quam fumosos istos cometarum genitores, terrae halitus, et levem istam humoris biliosi aut spiritus aut sanguinis exaestuationem. Magnis plerunque consiliis neque ita temere, ut in umbra et pulvere mathematico ociose desidentes sibi somniant, suscipiuntur bella et geruntur neque furor ibi magis quam ratio et prudentia imperat, praesertim ubi graves multoque usu rerum pollentes senatores consilia sua conferunt. Neque omnes qui arma tractant, neque principes omnes, qui bella gerunt, ita biliosi sunt natura, et si sint aliqui, non ita magna bilis est copia, quin temporis progressu in magno belli apparatu defervescat. Et sane quantumvis magnam bilis vim minore labore atque impensis, adde etiam periculis, detrahet quivis quam ut nesessarium sit ad arma concurrere. Sed non possum hic praeterire ea, quae scite admodum in eandem sententiam Erastus scribit:

Quam felices, inquit, *essent mortales, si a bile duntaxat in principum corporibus coacervata bella omnia orirentur. Pauculo enim rhabarbaro aut rosarum succo totam hanc pestem extinguere posset prudens medicus. Sic et ab hominum cervicibus tantum periculum averteretur et immensis pariter sumptibus parceretur.* Addo ego: Non omnes sua sponte ac volentes arma corripiunt, non pauci invitissimi suam aut dignitatem aut ditionem propugnare coguntur. Id fere nobis, ne longius exempla arcessantur, cum Turcis usu venit. Quod si cometes belli causa est, cur non in omnibus eundem belligerandi ardorem studiumque exitat, ut omnes libentissimi, nemo invitus ad dimicationem descendat, biliosus praesertim? Sunt, fateor, alii, quos non patriae defensio, non publica salus, non arae, non foci, sed avaritia, odium, iniuriae, ambitio et insana falsae gloriae cupiditas, insatiabilis quaedam habendi et regnandi libido ad omnem audaciam impellit. Sed ne hi quidem sine magno consilio rem tantam

aggredi et gerere solent neque vero, cum rei bene gerendae locus est, diutius sibi cunctandum et novam e coelo cometae alicuius expectendam lucem ducunt. Nemo unquam bellum sine armis et copiis, raro sine pecunia, quae nervus belli vocatur, gerere potuit. Num arma etiam et divitias cometes cum animo bellicoso confert? Iam si alterutrius exercitus tantam rationem ducit, ut ibi necessaria omnia ad rem ex sententia conficiendam suppeditet, cur tam alteri parti iniquus est, ut eam et copiis et viribus et opibus, atque adeo saepe etiam fortibus animis atque audacia, victoria denique ipsa spoliet? An etiam perturbationibus cometam distrahi censendum est, ut hos amore, illos odio sibi habendos ob aliquam latentem causam ducat, his fortitudinem et audaciam addat, illis ignaviam, torporem, timiditatem iniciat, hos bile ardentes, bellicosos, illos phlegmate tardos, inertes, imbelles efficiat? O singularem cometae iniquitatem!

Verum non lubet pueriles has nugas pluribus refutare. Hoc satis sit ostendisse, multa requiri ad gerenda bella, quorum in cometem causa, ut et belli ipsius, nisi a parum intelligentibus conferri non potest. Addo illud quoque, quod est a viris doctis firmissimis rationibus demonstratum: corpora nostra non a cometarum solum crinibus aut barba aut cauda, sed ne ab ipso quidem coelo aliter affici quam infinita illius natura patiatur. In animos vero ipsos atque adeo voluntates consiliaque nostra nihil iuris, nihil potestatis vel meteoris, vel coelo ipsi a natura vel naturae ipsius opifice Deo tributum fuisse. Hominem autem, qui futura certo ac vere praenunciet, nisi instinctu inflatuque divino mirabiliter id fiat, non dubium esse, ut ante dictum est, reperiri prorsus neminem.

Restat, ut pauca adhuc quaedam de regum interitu repetamus. Quaeso, cur reges magis eripiat cometa quam de plebe quemvis? An siderum coelique vis atque aeris temperamentum ad regum magis quam tenuiorum hominum corpora pertinet? An ex aliis regum, ex aliis item reliquorum hominum corpora diversisque elementis coaluerunt? An aliter concipiuntur, aliter in lucem exeunt? An alium ipsi aerem hauriunt, alius eis nimirum lucet Sol, alia sidera? Si vera sint haec, quae de crinitis fabulantur, nae miserrimi sunt reges. Quid reges dico? Ne homines quidem, sed trunci erunt aut caudices, quippe in eorum non corpora solum, verum etiam in ipsos quoque animos cometa merum mixtumque imperium excercet atque adeo

vitae necisque potestatem habet. At maior, inquis, horum cura coelum tangit. Sacrarum quoque litterarum monumentis proditum est, cor regis in manu Dei esse. Vere, sed quid hoc ad rem, qua de agimus? Ouid hinc efferunt? Nihilo plus sane quam si ego item, quod alibi scriptum quoque est, reponam: Solem aeque bonis ac malis illucescere Dei volutante. Verum utrumque ridiculum sit hoc loco. Quod si libros adeas, ex quibus haec detorquentur, si antecedentia, si consequentia, si totam denique orationis οἰκονομίαν consideres, statim intelligas id, quod dixi, nihil illa ad hoc nostrum argumentum pertinere. At enim delicatiores sunt reges et victus ratione utuntur, quae idonea sit ad recipiendum cometarum effectiones; contra autem promiscua multitudo robusitior est et crassis plerunque cibis sese ingurgitat. Ludere diceres et facetias studiose consectari, non serio agere urbanos homines, nisi vultu ad omnem severitatem composito atque elato supercilio sesquipedalibus, ut poeta inquit, verbis haec effutirent. Reges bene conditis ac bonum succum procreantibus cibis misere interire, remiges vero, ut tuus Scaliger inquit, et fabros et vitrarios et messores allio, bulbis, cepullis, ulpicis, sale, vino, pipere differcios non mori, id vero in primis est admiratione dignum. Sed heus tu, non omnes reges ita vivunt delicate, ut tu tibi opinionibus errore fingis, neque omnes iis cibis vescuntur, qui tantam primum in corporibus, deinde in ipsis quoque eorum animis tempestatem concitent, neque omnes uno eodemque sunt vel corporis habitu vel partium temperamento. Quo fit, ut cunctos reges non una vis caloris ac siccitatis possit attingere. Quin sunt aliqui frigida natura praediti, alii hanc sibi intemperiem accersunt, dum cruditates aggerunt, alii libidinosa et voluptaria vita sibi malum procurant, aliqui iam senes etiam sunt. His omnibus non exitium, sed salutem adfert calida et sicca aeris constitutio, quam cometas efficere volunt. Nullum igitur a cometa regibus malum impendet, sed salus potius est expectanda. Sed sit sane eiusmodi princeps aliquis, qui non aliis cibis utatur quam qui bilem augeant quique inductum a cometa aeris vitare aestum nequeat, semper sub dio iacere Solisque se ardoribus excoquendum dare necesse habeat, huic, certe febris et aurigo potius quam belli studium imminebit.

Ut brevi concludam: nullus annus est, quo non alicubi princeps aliquis aut nascatur aut etiam moriatur, idque etiam nullo cometa apparente. Quare nec sunt signa nec causae eorum aut ortus aut obitus. Id si fit tamen aliquando lucente cometa, temere fit atque ex acciden-

ti, perinde (ut magnus ille Casertae episcopus Antonius Mirandulanus scribit) ac si aliquo lavante in balneo coruscaret. Fiunt haec ex materiae necessitate. Nihil coelo cum imperatoribus et regibus negocii est. Coelum enim causa est universalis, quae beneficio motus et luminis omnia, quae sunt in hoc mundo, multo discrimine alterat et vegetat, nullam interea rerum ipsarum cognitionem habens.

Sed nolo omnia persequi, neque enim operae precium est longiorem in re futili orationem consumere. Et haec quoque non dubito tibi lectu non fore iucunda, quae ipsa profecto, cum ad rescribendum tibi calamum sumpsi, non fuit animus tam copiose examinare atque utriusque nostrum ocio tam intemperanter abuti, sed scribenti, ut fit, aliud ex alio incidebat.

Quae cum perlegeris, fac ut intelligam, quid inprimis improbes, nisi adhuc, quod nolim, non satis recte vales. Equidem invaletudine tua vehementer conturbor. Caeterum, quod ad Erasti (quem ego virum illius sane merito magnifacio) sententiam de putredine attinet, ea mihi nondum bene perspecta est. Necdum enim eius hac de re commentarios vidi. Quae de illius morbo adscribis, vix credas quam me valde perturbarint. Legi quae Cardanus de morbo, quem vagnon vocat, ante multos annos scripsit. Multa congruunt. Tam multos certe flatus, qui totum corpus ita perreptant, ut cutem distendant eamque a musculis etiam seiungant avellantque caloris innati imbecillitatis difficulter discutiet in illa praesertim aetatis inclinatione. Sed confido tamen fore, ut vir vita dignissimus sanitatem recuperet. Quod votis omnibus a Deo expecto. Hieronymi Mercurialis praestantissimi philosophi et medici Patavini opinionem non probo, si nullam esse pestem affirmat, nisi cum ab aere pestilentibus seminariis putridisque corrupto atque inquinato, humana corpora inficiunt lethalemque labem hauriunt penitusque in viscera recipiunt. Pugnare item cum ratione videt id, quod nisi fallor, docet, non esse pestem illam, cum pauci exstinguunt et non tota urbs ac provincia aliqua integra funeribus repletur. Nam etiam sine aeris corruptione, etsi non ita passim, multi tamen possunt malignos humores cogere, qui putrefacti veram pestem aliquo gigant; quae deinde pestis particularis contagione ad alios serpente pestem absolutam et universam efficit. Morbi enim genus et vim atque essentiam non aegrorunt aut intereuntium multitudine aut paucitate (numerus enim substantiam non constituit), sed ipsius morbi proprietatibus perpetuisque causis aut af-

fectibus metior. De qua re tota rectius equidem iudicare possem, si tuos de putredine libros, quos iam ante xx annos publice literatis promisisti, tandem aliquando videre possem. Quos quidem libros, ut non sine multorum tui cupidorum iactura minus diu premis, ita philosophiae et medicinae studiosi possunt a te suo quodam iure efflagitare.

Vale meque, ut facis, ama.

Ex solitudine mea Pascoviana, apud Moravos,
pridie Kal. Mart. 1578.